



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Auctarium. Sive Additiones Ad Viri Clarissimi Henr. Zoesii
J.V.D. Universum Jus Canonicum**

Geismar, Justus Moritz von

Coloniæ Agrippinæ, 1691

Ad tit. XXVI, de Test. & ult. volunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62259)

AD TIT. XXVI.

De Testamentis & ultimis voluntatibus.

AD num. 3. in fine adde. Episcopus de rebus patrimonialibus testamentum facere potest; de rebus verò intuitu Ecclesiæ acquisitis testari non valet. Gonz. ad c. quorundam 1. h. s.

Clerici de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis testamentum facere non possunt, de bonis verò patrimonialibus, proprio artificio, aut aliunde questis disponere valet. Gonz. ad cap. cū in officis 7. h. t. item cap. ad hæc 8. h. t.

Ad num. 10. in fin. adde. Franc. de Arauxo de stat. Eccles. tract. 2. q. 19. n. 48. tenet, quod Religiosi facti Episcopi liberentur à voto paupertatis, & habeant dominium portionis sibi assignatæ non minùs, ac alii; tum quia nulla fit post mortem illorum restitutio; tum quia facultas testandi illis concessa eadem formâ expeditur, ac illa, quæ conceditur Episcopis ex Clericatu assumptis.

Idem tract. 3. q. 28. dub. 1. n. 5. Divus Thomas tenet, quod Religiosus creatus Episcopus debeat gestare habitum suæ Religionis. Verum jam est eis mandatum, ut utantur habitu communi, scilicet pileo & muceta. Item dub. 2. An maneat à voto paupertatis absolutus? Ipse tenet, quod non, eò quod Pontifex cum ea non dispenset. 2. Quia tantum habet Episcopatum quoad usum & administrationem, quia D. Thomas tradit, quod in Religioso E-

piscopo maneat virtualiter & in preparatione animi votum obedientiæ absolutè autem obligatio castitatis & abdicatio proprietatis. Dub. 3. An possit de bonis patrimonialibus in Episcopatu obtentis testari? Ille consequenter negat.

Sforza Pallavicinus in præfatione de arte Christianæ perfectionis. Jussus sui sedere in Consistorio (scilicet summus Cardinalis,) quâ tamen dignitate non magis solutus fuit ab onere vacandi DEO, quàm gregarius miles ab onere militandi, si copia non ductor evadat.

Balsenb. lib. 4. c. 1. dub. 1. ait, quod obstrictus maneat votis essentialibus, etsi quoad aliquos effectus paupertatis & obedientiæ exemptus censeatur. Deinde etsi jure regulæ absolutus sit quoad culpam & pœnam, tamen ex obligatione moralis honestatis ea servare debet, quæ eum decet, & cum ejus munere consistunt. Hinc quoad habitum sui Ordinis colorem deferre debet, etsi quoad formam Episcopis secularibus se conformare possit ut Clem. VIII. concessit. Imò si resignet, vel deponatur, non tenetur redire ad observantiam regularem, quia retinet eminentiam Episcopalem, secus in Cardinali, qui Episcopus non est.

AD TIT. XXVIII.

De Sepulchris

AD num. 6. in fine adde. Per quartam funeralem debitam Ecclesiæ Parochiali, intelligitur solum quar-